

eruditos vel in moralibus usitatos quia plenus est et directus. Alterum vero consensum quem dicimus interpretatiuum difficilius est aduertere. nam fit multis modis. Unus est quando ratio debet esse prouigil circa aliquod reprimendum vel repellendum dum iam insurgit actualiter sed omittit et negligit repellere quasi tacens. Iuxta illud vulgatum. Qui tacet consentire videtur. sic nauta negligens dicitur causa submerisionis nauis. Notatere vero dicitur quoniam ratio debet esse prouigil circa aliquod reprimendum quod si actus esset indifferens vel talis circa quem ratio non deberet laborare ad repellendum seu reprimendum quod scilicet non imminet periculum peccati per silentium suum. tunc non dicitur voluntas in tali silentio consentire. unde potius aliquando deberet dici dissentiens sicut fit in temptacionibus blasphemie et multis alijs que melius uicuntur silentio siue non aduertendo quam pugnando et directe conando. sic in ciuilibus quoniam quid uerum est. aut quod tacet non statim uideatur consentire immo uerius dissentire iudicatur. Alia regula dicit. Qui tacet non credit et negat. Amplius uero fit consensus iste secundus nonnumquam indirectus quando scilicet voluntas aliquod uult vel agit ad quod solet sequi aliud quod est peccatum ut cum aliquis inebriat se uoluntarie ad quod sequitur dormitio et ex dormicione omissio